

*esset anserina, sibi invicem nihil communicarent, neque enim aurea anserinae, neque anserina aureae quicquam daret, sed duntaxat combinatae & conjunctae essent. Quae unio harum duarum pennarum, sicuti videtis, sine omni communicatione fieri potest. Ita JAC. ANDREAE ad Bezam Colloquio Mompelgard. p. 193. Quisquis igitur, communicationem meram esse unionem, fingit, eo ipso illam annihilat ac negat. Unio enim sola nihil in Christo aliud efficeret, quam ut duae naturae essent simul, nihil vero inter se praeterea haberent commune, praeter nomen forsan, nullam vero mutuam appropriationem vel participationem, vel perciperent, vel darent; quod quam parum huic mysterio consonum sit, pius animus facile animadvertit. Ita porro nullo negotio probari posset, quod, quisquis communicationem idiomatum esse meram unionem, comminiscitur, ipsam unionem personalem tollat. Cum enim, ubi nihil inter unita communicatur, infimus unionis gradus sit, Personalis vero unio in Christo, extra omne dubium, jure summus habeatur, si ipsi dematur communio, & communicatio, desinet revera esse personalis. Et quomodo sit personalis unio, ubi neque communicetur persona, neque naturae, neque idiomatica, quae posteriora cum persona divina communicante re ipsa unum sunt? Immo, quod maximum est, negata communicatione, Divinitatem ipsam hypostaseos in Christo in dubium vocari, animadvertunt nostrates. Audiamus rursus JAC. ANDREAE ad Bezam: Vbi humanitati Christi priorum divinitatis communicatio realis negatur, & tantum creata dona attribuntur, eo nomine etiam divinitas ejus negatur. Quid enim aliud est Deitas, quam omnia sua propria? quae omnia in ipso non sunt accidentia, sed essentialia, sive ipsa Deitatis essentia? Quomodo autem homo ille potest esse Deus, qui tantum creata dona habet, & nihil realiter cum Deo, & ejus propriis, commune habet. p. 221.*

§. VIII. Notamus IV. Hoc satis edocere posse, utrum satisfactum sit recensio doctrinae nostrae Ecclesiae, ubi in Alloquio

loquio